



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Diluuntur argumenta prioris sententiæ. c. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tam potentior, à solo Deo, alia vero causa inferiori ab aliis multis etiam inferioribus impediri possunt. Habemus igitur, considerata saltem natura & inclinatione cause secundae, nisi aliunde sit impedimentum, non minus certo & euidenter, euentus naturales ab Angelo cognosci, quam motus & effectus futuros aliorum. Huiusmodi autem euentus sunt pestis, agritudo, sterilitatis, & alia id genus, quae ex causis omnino naturalibus futurae sunt. Ceterum quamquam effectus causarum inferiorum impediri possunt ab aliis causis naturalibus: nihilominus etiam quid ex tali impedimento futurum, aut non futurum sit non minus certo ab Angelo cognosci dicendum est. Bifariam enim causae inferiores, vt causae agritudinis, sterilitatis, &c. impediri possunt. Primum à libero arbitrio creato explicante causas naturales contrarias, cum potest, & hoc modo non asserimus, ab Angelo certo cognosci, quid futurum, vel non futurum sit ex tali impedimento: hic enim euentus in liberum arbitrium reduci debet, & de eo iudicandum eodem modo est, atque de aliis effectibus liberi arbitrij, de quibus sequenti disputatione dicemus, nisi postquam remedium, & impedimentum iam applicatum est à libero arbitrio ab eo, & amplius non pendet, tunc enim de eo idem iudicium esse debet, atque de impedimento naturaliter applicando. Deinde impediri potest effectus cause naturalis, aut variari interuentu & oppositione solius cause naturalis, nullo interueniente libero arbitrio, sed causis sibi naturaliter occurrentibus, & hoc modo docetur effectus naturalis contingens, quia talis occurrit per accidens, ac proinde contingens vocatur. Sic autem dicimus, certo etiam ab Angelo cognosci, quidnam ex impedimento cause naturalis futurum vel non futurum sit, nec minus certum iudicium esse in Angelo de eo, quod ex occurru cause contrariae oriretur, quam si ex sola causa naturali sine impedimento nasceretur: ita vt sicut certo cognoscit Angelus, ignem combusturum, & ex tali constellatione pestem, aut sterilitatem futuram, à tali humorum compositione agritudinem nascituram: ita etiam sciat, interuentu contrariae constellationis, vel cause materialis, aut effectricis talem effectum impediendum, vel non impediendum, nam sicut causae naturales ex se necessario inclinantur in vnam partem, sicut ignis ad calefaciendum, ita vt in hanc materiam, nisi aliquid aliud obstat, hunc effectum, & non alium operentur: ita etiam causae impediennes naturaliter & necessario ita impediunt, vt non impedire non possint. Cum igitur Angelus euidenter sciat vires cuiuscunque cause naturalis, & exacte inuicem conferat: certo aut euidenter cognoscet, quae causa aliam superabit, & qua ratione: certo igitur sciet, quid ex tali occurru futurum, aut non futurum sit. Nos vero ideo hos euentus nec euidenter, nec certo cognoscimus, quia virtutem & potentiam causarum non satis expendimus aut intelligimus: ideo naturales euentus contingentes non minus nobis incerti esse solent quam contingentes ex libero arbitrio, ita vt sola coniectura eos assequamur.

Et quod diximus de effectibus futuris ex causis naturalibus non cognoscimus, eodem modo asserendum est de effectibus futuris ex brutis animalibus, quia licet cognitione & appetitu ope-

Vesquez in 1. p. tom. 2.

rentur, non minus naturaliter & necessario in obiecta feruntur, nisi impediuntur, quam causae naturales non cognoscunt: ideoque cum Angelus certo cognoscit omnia impedimenta futura ex causis naturalibus, vt dictum est: certo etiam cognoscet, quid bruta animalia facient, aut non facient. Hoc autem intelligimus esse verum, siue causae naturales cognoscuntur ex sideribus determinentur & impellantur ad suas actiones, siue ex se ipsis: non quidem libere, sed naturaliter. Hoc dixerim, quia nonnulli concedunt, euentus futuros à brutis animalibus certo cognosci posse si bruta ad eos determinantur à sideribus: cum tamen vtroque modo eadem sit ratio. An vero haec futura cognoscantur certo notitia propria, quam vocant intuitiuam sequi disputat, videbimus.

## CAPVT III.

*Diluuntur argumenta prioris sententiae.*

**F**ax eadem vero doctrina, qua nostram opinionem confirmauimus, argumenta contrariae diluere possumus. Ad rationem priori loco adductam dicimus, effectus ortos ex causa naturali, nullo interuentu liberi arbitrij, etiam applicantis, esse omnino necessarios: tum etiam quando secunda causa naturali occurrente impediuntur, necessario impediuntur: sed nihilominus euentus, quam impedimenta huiusmodi dici contingencia, non quia non eueniant necessario, & cum determinatione naturali cause ad vnam partem, sed quia per accidens est, vnam causam ab alia impediti: quare contingentiam horum effectuum, hoc est, posse esse, & posse non esse: ex parte rei factae, non ex parte modi efficiendi in ipsa causa, futuri debet, vt disp. 64. cap. 1. ex mente Henrici explicanti. Quocirca *Gabriel in 1. dist. 38. q. vnica, art. 1. in secunda parte art. & Cordub. lib. 1. q. 55. dub. 4.* hos effectus non appellant contingentes, sed necessarios: eosque solum contingentes vocant, qui sunt aliquo modo ex libero arbitrio. Cum igitur hoc genus contingentiae non tollat modum operandi necessarium & determinatum ad vnum causarum efficientium, vel etiam impediendum, fit vt tales euentus ab Angelo certo & absque vlla deceptione cognoscantur, quia naturam, & virtutem omnium causarum recte perpendit.

Sed obiiciunt aliqui hoc modo, Si Angelus certo nouit huiusmodi effectus, sequitur illos non esse contingentes: quod videtur absurdum. Verum haec obiectio nullius momenti est: non enim respectu Angeli, sed ex se ipsis tales effectus dicuntur contingentes, hoc est, talis natura, vt possint esse & non esse: neque Angelo dicuntur contingentes, quia sint incertae veritatis, & Angelo ignoti. Quod quidem si in argumento hoc assumatur, negari debet: assumitur enim id quod probandum erat, & de quo nostra est controuersia.

Ad definitionem articuli Parisiensis, quae posteriori loco asseratur, respondeo, nihil in illo articulo contra nostram sententiam definiti: eo enim solum damnantur asserentes, omnia necessario euenire, vt dicebat Wicleffus, etiam quae ex libero arbitrio procedunt. De causis vero naturalibus naturaliter ad opus determinatis nihil definit: imo ego non video, quo pacto secundum rectam fidem, & veram philosophiam dici possit, euentus causarum naturalium libere ad vtrum-

uis ex libertate & indifferentia causæ euenire. Ceterum quamuis asseramus, hos euentus causarum naturalium, & brutorum necessario euenire, aut necessario impediri ab aliis brutis, vel causis naturalibus: negari tamen non potest casus, quâuis in his fortuna locum non habeat: casus enim dicitur euentus secutus per accidens respectu alterius causæ, quam rationalis, licet necessario eueniat interuentu alterius causæ naturalis, & necessatio operantis: fortuna vero solum dicitur respectu hominis: dicitur enim solum effectus, qui accidit homini præter intentionem, etiam si eueniat interuentu alicuius causæ, naturalis & necessario operantis: quamuis ergo aliæ causæ, quæ occurrere possunt, operentur naturaliter & necessario, potest nihilominus dici casus, & fortuna.

Tertull.

Ceterum, posset quis obiicere primum Tertullianus in Apologetico capit. 22. prope finem, ubi agens de diuinatione dæmonum, inquit eos semper ambiguos respondere. Subiungit autem hæc verba: *Habent de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium caelestes sapere paraturas, vt & pluuias, quas iam sentimus reprobmittant.* Respondeo, non mirum, si Tertullianus aliud genus cognitionis futurorum euentuum naturalium tribuerit dæmonibus: cum enim existimauerit, eos esse corporeos, & sensu præditos, mirandum non est, si dixerit, eo tantum modo futuram pluuiam, & alios naturales euentus præscire; cum tamen sententia, quæ asseruit, omnes Angelos, & dæmones natura sua spiritus esse, & omni corpore vacare, verior sit, vt disputatione 178. cap. 3. & 4. probatum est, consequenter dicere debemus, pluuiam futuram & alios euentus non præsciri à dæmonibus ex præfensione aliqua propter propinquitatem loci, vt manifeste patet: neque enim præcognitio intellectus ex propinquitate loci pendet sicut præfensio per sensus corporis. Fateor nihilominus, cum Tertulliano sensisse Arhanasium libro quæstionum, quæst. 27. ubi inquit pluuiam, & Nihil inundationem non posse à dæmone præsciri: cum tamen dixerit, Angelos omnes incorporeos esse, vt disp. 179. cap. 3. retulimus. Habemus tamen contra Tertullianum, & Arhanasium, Augustinum, qui cum existimet Angelos & dæmones non esse spirituales & incorporeos nihilominus de modo, quo præsciant pluuias, & alios naturales euentus, aliter sensit: in libro enim de diuinatione dæmonum cap. 4. docet, ipsos diuinate ægritudines, aut tempestates futuras, quas ipsi facturi sunt: quia accipiunt potestatem immittendi morbos, aërem vitando: quod sane intelligi debet fieri à dæmonibus non propria virtute, quia hæc solum possunt moueri secundum locum corpora, vt disp. 208. cap. 3. dicemus: sed applicatione causarum naturalium, quas ipsi applicare possunt. Sic dicit inferius. *Aliquando autem non que ipsi faciunt, sed que naturalibus signis futura prænoscent (qua signa in hominum sensu venire non possunt) ante prædicunt, & infra, Quid mirum si demon in aeris affectione, atque ordinatione sibi notas nobis ignotas futuras præuideat tempestates.* Et capit. 6. ea solum ratione ostendit, dæmones in hac diuinatione decipi, quia hæc ab Angelis Deo seruientibus, hoc est, bonis ex alia dispositione ignota dæmonibus ex improuiso, ac repente mutantur, & paulo infra adducit exemplum quando Matthæi 8. facta est tranquillitas viso Domino; quis enim dæmon non putaret

Arhanas.

11.

tempestatem illam amplius duraturam, si certis solum naturales attenderet? Nos autem dicimus, hæc futura certo ab Angelis cognosci, si nullo modo interueniat liberum arbitrium. Aliam quoque modum prænantandi nobis futura assignat idem Aug. 4. de Trin. c. 17. & 12. lib. de genesi ad lit. c. 17. vt propter summam velocitatem, & acutissimam cernendi, quia cernunt, que longe distans ea nobis prænantiant, videntur futura prædicere, quæ illis iam sunt presentia.

Deinde contra ea, quæ dicta sunt, videtur esse idem Aug. lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. ubi docet, futura temporalia melius ab Angelis bonis cognosci, quia in illorum cognitione non possunt decipi, quia ea vident in verbo, quam à dæmonibus, qui falli possunt, eo quod videant solum in causis. Respondeo, Augustinum loqui de futuris ex causis solum naturalibus, sed de his etiam, quæ ex libero pendunt arbitrio: hæc autem à dæmonibus sola coniectura cognoscuntur in causis, ab Angelis autem bonis in verbo, hoc est, Deo reuelata, & propterea certius ab eis cognoscuntur.

Postremo argumentatur nonnulli, ex illo Scripturæ 8. ubi tanquam proprium Dei dicitur esse, monstra cognoscere, antequam fiant: hæc autem sunt effectus naturales ex causis omnino naturalibus. Respondeo primum, id quidem non assignari vt proprium Dei, quod creature etiam non conueniat: ibidem enim de eadem Scriptura, de qua sermo erat dicitur, *Sic præterita, & de futuris æstimat*, præterita vero ab Angelis recte cognoscuntur: idem igitur de moustris dicitur credendum est, præterita dico, ibi esse sermonem de sapientia creata, quam inquit sapiens se semper amasse, & de hac dicit cognoscere monstra, scire præterita, & de futuris æstimare, ea dum præteritione, qua homini in hac vita permisum est.

DISPUT. CCVIII.

An futura contingentia ex libero arbitrio propria virtute ab Angelis certo cognoscantur.

*Hæc futura ab Angelis certo cognosci non posse Catholicis indubitatum esse, cap. 1.*  
*Quæ ratione nonnulli probent, hæc futura ab Angelis certo non cognosci, cap. 2.*  
*Argumentum difficile contra præcedentem doctrinam, cui Doctores varie respondent, cap. 3.*  
*Vera solutio superioris argumenti, cap. 4.*

CAPVT I.

Hæc futura ab Angelis certo cognosci non posse Catholicis indubitatum esse.

**N**vllus fuit Catholicus, imo nec hereticus, qui existimaret, futura contingentia ex libero arbitrio ab Angelo propria virtute certo cognosci posse. Hoc enim certam cognitionem solius Dei omnes esse dixerunt. Et 2. scripturis ita docuerunt Iustinus in lib. quæst. a gentibus, & in 2. apoc. cap. 10. & 14. 6. Esaias lib. 5. de prophecia. Et in 2. apoc. cap. 10. ubi late disertè de otaculis de monacho Damasci. lib. 2. de fide, cap. 4. in fine. lib. de cap. diaboli cap. 2. 1. qui omnes, quamuis de dæmonibus solum loquantur, excepto Damasci, qui etiam de bonis